

quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, aut si prefate persone presentes non fuerint ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ipsarum ecclesiarum solita iuramenta, dummodo in absentia earum per procuratores ydoneos et cum ad ecclesias ipsas accesserint corporaliter illa prestent. Ceterum volumus et eadem auctoritate apostolica decernimus, quod presentes littere per concedentis obitum non expirent et quod quilibet executorum predictorum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico prepeditus, constitutionibus apostolicis contrariis non obstantibus quibuscunque, et quod dicti executores de nominibus et cognominibus personarum quibus dictos canonicatus et maiores prebendas contulerint ut prefertur de diebus collationum huiusmodi gentes camere apostolice aut . . . collectorem fructuum et proventuum dicte camere debitorum in illis partibus pro tempore existentem certificare procurent. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ingnoranter contigerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitutionis, ordinationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Rome apud sanctum Petrum VII. idus aprilis pontificatus nostri anno tertio.

20

8.

Abt Johannes zu Cisterz und die Vorsteher des Generalcapitels bringen die am 14. Sept. 1411 beschlossene Stiftung in Erinnerung und beauftragen den Abt zu Grünhain deren Ausführung zu überwachen.

1413 Sept. 13.

Hdschr.: Diplomatarium Lipsiensis senatus T. IV, fol. 138.

25

Nos frater Iohannes abbas Cister[cii] ceterique diffinitores capituli generalis notum facimus universis, quod anno domini M ccccxiii, xiii. die mensis septembris in eodem nostro generali capitulo Cistercii celebrato facta fuit quedam diffinicio et est talis: Quia capitulum generale nuperi anni ad instanciam illustrium principum et dominorum, domini Frederici et domini Wilhelmi germanorum, lantgraviorum Thuringie et marchionum Misnens. studium pro ordine in opido Liptzk concessit fieri^{a)}, provisionem eiusdem abbati de Veteri Cella commitens, abbatibus quoque ceterarum provinciarum studentes illuc mittere debentibus, mandans nihilominus et iniungens pro instauracione et edificacione loci contribuere tantum, quantum quilibet pro expensis suis studentibus per biennium solet dare et quia abbates dictarum provinciarum tam in contribuendo pro dicta